



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Bvrrhonium (Blaubewern) ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

Est in ea ipsa vicinia trans Lacum plumarium, infra celebratissimum Sueviæ montem Puffium, medio ferè, sed non recto itinere inter Riedlingum & Biberacum, Eremitarum S. Augustini monasterium, *Uthonis Wylerium*, quasi Uthonis villa dictum, quod fundatum est anno Christi 1450. à Bertholdo, Conrado, & Joanne, Nobilibus de Lapide, Equitibus auratis, in eo ipso cœnobio cum uxoribus ac liberis suis sepultis. Bertholdus fundator obiit anno 1473. Habuit uxorem primam Dominam *Clementiam* à viridi monte, secundam Dominam *Osannam Thimianam*, parentem duarum filiarum, Chunigundis, quæ Neydegkero cuidam, & Rosinæ, quæ Gulielmo à Rechberg nupsit.

*Uthonis
Wyler.*

DVRRHONIUM (*Blaubewern*) quasi fons sive fontes, propter amplissimum ac admirandæ profunditatis fontem vicinum, ex quo Blavus fluvius aërii coloris oritur, jam vero mutata parum voce *Blauburnium* vel *Blabyrium* dictum, olim, antequam oppidum aut cœnobium ibi constructum esset, S. Joannis Baptistæ exiguum saltem Idolion, ab Anshelmo, Hugone, ac Sigibotone fratribus, Comitibus Palatinis Tübingensibus & Rugkensibus, conditum: nunc vero Divi *Benedicti* monasterium in ducatu Wirtenbergensi, magnificentum sane ac amœnissimum, duobus miliaribus ab Ulma, Sueviæ metropoli, pene in ejusdem nominis peramæno oppido situm, fundatum ac inchoatum legitur annum Christi circiter 1095. sub Urbano II. Pont. Max. & Henrico quarto Rom. Imp. ab Anshelmo patre, & duobus ejus filiis, Henrico ac Hugone, Palatinis Tubingensibus & Comitibus de Rugka, quorum hanc invenio Genealogiam.

*Blaube-
wern.*

*Blavus
fluvius.*

*Monaste-
Wirten-
bergense
D. Bene-
dicti.*

*Blaube-
wern
Chronolog
Monasterio
vna Germa
S. III*



Hugo Palatinus Tubingensis, Comes arcis Rugkhæ & Dominus castri Gerenhusii : de quibus hodie adhuc incolumibus arcibus dicitur id vulgatum: *Züte dich Ruck / das dich Ger-*
renhusen nicht erdruck. Is inquam genuit

*Ruck.
Gerenhusium.*

Hugonem, de quo nihil in fastos relatium invenio. *Anselmum*, Tubingæ sedentem, primam fundatorem S. Joannis Burrhonensis, qui ex Bertha Comitissa duorum filiorum pater factus est. *Sigibothonem*, qui ex Adelhaide, Comitissa de Elisatia, excepit *Wernberum* clericum. *Waltherum*. *Sigefridum*. [magnum ejusdem monasterii benefactorem, cujus filius erat

Hugonis junioris, qui genuit filium *Fridericum*, diligentem augmentatorem eorum, quæ à suis majoribus in honorem Dei videbat esse constituta. *Henrici*, cujus conjunx Domina Adelhaidis, Comitissa de Entzenberg, ad pontificem Urbanum secundum profecta, fundationum mariti ac leviri sui confirmationem impetravit, ut est videre in diplomate fundationis. *Hardmannus*, cui cum liberi non essent, monachus factus est in hoc ipso majorum suorum cœnobio.

Benefecerunt eidem cœnobio alii etiam Comites Tubingenses, Conradus videlicet anno 1120. & Mangoldus, & Waltherus, Episcopus Augustanus, anno Domini 1125. fundatores Anhusiensis cœnobii, in valle Brentiana siti. Hugo item tertius anno 1164. advocatus hujus monasterii, qui Guelphonem, potentissimum Alemanniæ ducem, cum quibusdam aliis Principibus & Comitibus, Tubingam gravi obsidione cingentibus, in fugam convertit, fudit & cepit anno Christi 1165. Idem ex Martalensi Canoniorum collegio Præmonstratense cœnobium fecit, anno Domini 1171. Hujus item Hugonis filius, Rudolphus, Palatinus Tubingensis, & Bregantii & Curienfis Rheticiæ Dominus, qui

Martalium cœnobium.

qui anno Domini 1181. dicitur Bebenhusium liberaliter donasse. Henricus item, qui anno Domini 1167. Fridericum Barbarossam sequutus, in obsidione urbis Romanæ peste interiit: & alius insuper Rudolphus, qui anno Domini 1267. advocatiam coenobii Blaubyensis resignavit nono Calend. Januarii, quo die multa etiam ad altare S. Joannis Baptistæ obtulit. Postremo etiam Goso vel Gozo, & Gulielmus, Palatini fratres, qui anno Domini 1342. vendiderunt Tubingam Ulrico, Comiti Wirtembergensi. Præfuerunt huic coenobio Abbates ad hæc nostra usque tempora, qui sequuntur breviter annotati.

Bebenhusium coenobium.

Tubinga venditur.

Abbatum Catalogus.

1. *Azelinus* ex Hirsaugia, à S. Wilhelmo Abbate datus, anno Domini 1095. primus Abbas Burrhoniensis constituitur ab Henrico & Hugone, Comitibus Palatinis Tubingensibus, & Dominis in Rugka. Hunc alibi Anshelmu[m] vocant. Præfuit is sex annis. Obiit anno Domini 1101.

2. *Otho* constituitur in locum Azelini. Præfuit annis 15. Obiit Anno 1116.

Oppidum Blaubyrnense.

3. *Rudigerus* eligitur anno 1116. Præfuit annis sex. Obiit anno 1122. Sub his Abbatibus legitur cepisse oppidum Blauburniense, quod monasterio multo est recentius.

4. *Wolpoto* eligitur anno à partu Virgineo 1122.

5. *Otho* secundus, ab aliquibus Ezelinus dictus.

6. *Wernberus*, qui obiit anno Domini 1159.

7. *Eberhardus* præfuit annis 19. Obiit anno Domini 1178.

8. *Fridericus* præfuit annis 25. Decessit ex hac vita anno 1203.

9. *Henricus* præfuit novem annis, & anno Christi 1212. usu oculorum divino judicio, justo quidem, sed occulto privatus, omnis regiminis deposuit.

10. *Wolpoto* eligitur anno 1212. Præfuit annis septem. Obiit anno 1219.

11. *Rudolphus* eligitur anno 1219. Præfuit annis 12. penè. Dejicitur à gubernatione anno Christi 1231. cui successit legitime & Canonice electus

12. *Albertus*. Is præfuit annis 14. & obiit anno Christi 1245.

13. *Main-*

Blaubyrn

*Chronologia
Monasterio
Blauburniense
S. III*

13. *Mainfridus* præfuit non amplius biennio & pertæsus œconomicarum molestiarum voluntarie Abbatiam resignat anno Christi 1247.

14. *Conradus* præfuit duobus annis. Obiit año Domini 1249.

15. *Hermanus* præfuit 14. annis, & obiit anno 1263.

16. *Eberardus* præfuit annis sex, & infirmitate afflictaq; valetudine compulsus Abbatiae gubernatione sese abdicat anno Christi 1269.

17. *Albertus* præfuit duobus annis, & deponitur anno Domini 1271.

18. *Marquardus* præfuit 15. annis. Obiit anno 1286.

19. *Conradus*, Mirabilis cognominatus, præfuit sex annis cum dimidio. Resignavit Abbatiam anno Christi 1293. Sub hoc Abbate cum civis quidam in cœnobii templo vulneratus esset, dedicatum est monasterium secundario, & Altare summum in honore S. Joannis Baptistæ.

20. *Albertus* Canonicè eligitur anno 1293. Præfuit annis 15. Obiit anno 1308.

21. *Godofridus* eligitur anno 1308. Præfuit & profuit 26. annis. Obiit anno 1333.

22. *Albertus*. Sub hoc Abbate interfectus est à Conrado quodam Diacono Prior Monasterii, anno Christi 1347. De Alberto Abbate nihil invenio.

23. *Rumboldus* à Griffenstein resignavit Abbatiam anno Christi 1356 in vigilia sanctorum Christi Apostolorum Petri & Pauli. Erat enim homo afflicta valetudinis.

24. *Joannes Kloczerus* eligitur anno Christi 1356. Præfuit utiliter uno & triginta annis. Obiit anno Domini 1387. Optimus œconomus. Hoc Abbate ad clavum sedente, obiit anno 1361. *Ulricus de Helffenstein* Comes, Blaburnii sepultus.

25. *Joannes Hugo*, Ulmenfis, concorditer & una omnium voce, unoq; omnium spiritu eligitur anno Domini 1387. Præfuit 20. annis. Vulneratur à quodam monacho suo Henrico Fulgmeyer in cellario infirmorum. Moritur ex eo vulnere die duodecimo, anno Christi 1407.

26. *Joan-*

26. *Joannes Ungebeir*, alias *Hettelinus*, præfuit 12. annis. Obiit anno Domini 1419.

27. *Henricus Hasenbergius* præfuit annis 36. & anno Domini 1456. resignavit Abbatiam, & obiit postea anno 1466. Hunc alibi inveno dictum esse *Schaffnaburgium*. Sepelitur in templo laicorum. Sub ejus gubernatione vixit & obiit in cœnobio *Blauborniano* anno Domini 1428. reverendissimus dominus *Anshelmus à Nenningen*, Episcopus *Augustanus*, ibidem humatus. Sub eo ipso cœnobium cum vicino oppido ac territorio venditum est ab *Helffensteinnensibus Comitibus Comiti Ludovico de Wirtenberg* 40. millibus aureorum, mense Martio anni 1447.

*Blauby-
rium ven-
ditur.*

28. *Udalricus Kindig* eligitur in octava Epiphaniæ, anni 1457. antea secularis sacerdos. Præfuit annis 19. Erat mediciter doctus & diligentissimus omnis generis librorum scriptor, vir bonus, sed cœconomus non admodum monasterio utilis. Resignat Abbatiam anno 1475.

29. *Henricus Fabri* successit in octava Innocentium, primus hujus loci Abbas infulatus, optimus cœconomus, & adeo diligens tam spiritualium quam secularium cœnobii sui rerum curator, omniumq; ædificiorum renovator ac illustrator, ut secundus hujus monasterii fundator vulgo dici ac prædicari meruerit. Reformavit unà cum *Georgio, Hirsaugiensi Abbate*, monialium cœnobium *Sefflingense* anno Domini 1484. Romani pontificis *Sixti quarti* jussu ac mandato. Est multorum sui seculi poetarum carminibus & opusculis celebratus, *Henrici videlicet Bebelii*, *Tubingensis* professoris ac poetæ Laureati: Et *Joannis Casselii Gisingensis*, ac fratris *Leonharti*, monachi cujusdam in *Anhusio Brentiano*. Præfuit 20. annis. Obiit anno Domini 1495. in die *S. Ambrosii*. Sepelitur sub *Dominici* corporis ædicula.

*Sefflin-
gum cœ-
nobium.*

30. *Gregorius Ræstl*, *Martorfensis*, vir bonus & fidelis rerum monasterii administrator, & qui egregie absolvit ea, quæ antea ab *Henrico Abbate* erant ædificari cœpta, præcipue vero *Basilicam summam* monasterii pulcherrime illustravit. Præfuit annis 27. & aliquot mensibus, Abbatiamq; volens resignavit anno

K Christi

Blaubornij

*Chronologia
Monasterio
nua German
S. III*

Christi 1523. nihil sibi reservans, sed cum aliis sui ordinis ac loci hominibus humiliter vivens ad finem usq; vitæ suæ. Obiit postea anno sequente. Sepelitur in sacello S. Petri cum tali disticho.

Respice, qui transis, illo sub marmore dormit

Abbas Gregorius pro vidus atq; pius.

31. *Ambrosius Rasor*, Landavianus, successit Gregorio. Is Abbatiam Ullrico, Wirtenbergensium Principi, mutanti ritus Ecclesiarum suæ ditionis, resignavit, splendide interim ac delicate vivens, donec anno Christi 1545. vitam etiam ei resignaret, à quo illam ipsam olim acceperat. Sub ejus gubernatione translata Academia Tubingensis, eo quod Tubingæ admodum grassaretur pestis. Eodem anno à *Reismanno*, Poëta, Blavus fons celebratus est elegiaco carmine, & Blaubernii obiit doctissimus sui seculi mathematicus *Joannes Stofflerus*, primus, quem pestis inter literatos Blaubernii è medio sustulit. Is inde Tubingam revedus & ibi in Parochiali templo honorifice sepultus est. Post Ambrosii Abbatis obitum vacabat Abbatia tribus annis.

*Tubingensis
Academia
translata
Joannes
Stofflerus*

32. *Christannus* sive *Christianus*, *Tubingius*, ex Martorffo Episcopali oppido natus, eligitur in ipsa patria sua, oppido Martorffensi, à fratribus (qui ante multos annos è Blauburno exules Martorffum secesserant) anno Salutis 1548. duodecima Januarii, cum ubiq; jam expulsi ac fugati monachi jussu & autoritate Caroli V. Imp. Aug. introducerentur in sua, & pristinae dignitati restituerentur. Iste Christannus Abbas, vir doctus, proceræ staturæ, humanitate nemini secundus, mihi Martorffi & hunc catalogum & diploma primæ foundationis communicavit, quod tale est:

Urbanus Episcopus, servus servorum Dei, dilecto Azelino, monasterii Burrhenlis Abbati, ejusq; successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Sicut irrationabilia poscentibus negari debet assensus, sic justa petentium votis benigna debemus assensione concurrere. Eapropter charissimæ filia nostræ Adelhaidis Comitissæ desiderio ac petitioni duximus annuendum.

Hæc

Hæc nimirum ad limina sanctorum Apostolorum veniens, & suam & Viri & Leviri sui devotionem strenue adimplere curavit. Burthonsensem namque Ecclesiam, cui nunc auctore Deo tua Fraternitas præsidet, socii sui studio ac fundamentis ædificatâ, secundum ipsorum vota super sacrosanctum Beati Petri altare obtulit, & per manum nostram in proprium sedis Apostolicæ alodium delegavit: quam videlicet oblationem scriptorum nostrorum petiit auctoritate confirmari. Nos igitur præsentis decreti auctoritate sancimus, ut tam præfatus locus, quam universa, quæ ibidem supradictorum Comitum Henrici & Hugonis, seu prænominatæ Adelheidis Comitissæ largitione collata sunt, vel in futurum ipsorum aut aliorum fidelium oblationibus conferentur, sub Apostolicæ sedis tutela, integra semper & illibata permaneant, fervorem Dei illic degentium usibus omnimodis profutura: salva Constantiensis Episcopi Canonica reverentia, ut tamen ex eodem loco unius Bisantii census annuus Lateranensi Palatio persolvatur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, minuere, vel quasi piis de causis suis usibus applicare. Obeunte te nunc loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptione vel violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem & Beati Benedicti regulam elegerint. Si quis igitur Sacerdotum, Clericorum, Regum, Ducum, Comitum & Judicum vel secularium personarum hanc nostræ constitutionis paginam agnoscens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque dignitate careat, reumque se divini iudicii existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inveniant. Datum Laterani per manum

Brulohij

Chronologia
Monasterio
sua Germania

S. III

num Joannis, S. Rom. Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, 8. Calend. Febr. Indictione septima, anno Dominicæ Incarnationis 1099. Pontificatus autem Domini Urbani secundi, P. P. undecimo anno.

*Byblin-
gium.*

BYBLINGUM, Biblingen / cœnobium ordinis D. Benedicti, Constantiensis dioceseos, noni procul ab Ulma, Sæviæ metropoli, in sinistra descendenti in Danubiū Ileri situm, sic dictum à prætereunte fluvio Bibingo, qui ibi in Ilerum cadit, fundatum ac inchoatum est in honorem S. Martini, anno Domini 1099. ab Othone & Hartmanno fratribus, Comitibus de Kirchberg, religionem Christianam mirifice amantibus Regulis, in ejusdem monasterii templo honorifice sepultis, qui hoc suum cœnobium Pontifici Rom. obtulerunt ac donarunt totum, unde Abbas loci singulis annis ducatum Bisantinum Cameræ Apostolicæ in perpetuam hujus oblationis memoriam numerare cogitur. Dicitur autem monasterium primum inchoatum esse in vicino monte Kirchbergo, ubi primum adhuc templum est satis magnificentum. Iste mons tum latissimus subterfuentis Ileri crebris tempestatibus ita successu temporis diminutus, exesus & vastatus est, ut magna ejus pars in Ilerum deciderit, quæ res occasionem præbuit transferendi cœnobium in proximè adjacentem, & ab Ileri incurfibus paulo tutiorem agrum, in concursu Winii vel Bibingi & Ileri situm; etsi ne ille quidem locus interdum satis tutus sit sæviante fluvio, hibernarum aquarum accessionibus aucto. Est contiguū penè cœnobii templo sanum D. Virginis. In eo devotæ ac Deo dicatæ sorores, nobilitate cum generis tum virtutum conspicuæ, olim inclusæ habitasse, Deoq; precationibus, jeuniis, ac cætionibus servivisse dicuntur. Harum adhuc in eo ipso cœnobio supersunt nomina, martyrologio inscripta. Habent in eodem monasterio reconditoria ac sepulchra sua omnes penè Comites Kirchbergenses cum liberis & uxoribus suis, quorum insignia parietibus templi affixa & adpicta sunt. Horum brevem catalogum in arboris forma hoc loco subjungere volui, ne intercidat omnino tam vetustæ familiæ memoria.

*Kirch-
berg.
Iler flu-
vius.*

*Comites
Kirchber-
geneses.*

Wilhel-